



**Oratio reuerendi et clarissimi viri, D. Pauli Eberi, pastoris
Ecclesiae Vuittembergensis ad Christum, pro placido & beato
discessu ex hac vita calamitosa, brevi & incerta:**

<https://hdl.handle.net/1874/399740>

2

Oratione reueren

DI ET CLARISSIMI VIRI,
D. PAULI EBERI, PASTORIS
Ecclesiae Vuittembergensis ad Chri-
stum, pro placido & beato discessu ex
hac uita calamitosa, breui & incerta: scri-
pta ab eo & edita Germanicè, Anno
1562. reddita nunc etiam Latinè, & quæ-
dam alia, pro morituris & metuenti-
bus mortem, in his instantibus pe-
riculosis & pestiferis tem-
poribus, breuiter &
piè collecta, à

LVCA LOSSIO Luneburgense.

Item Elegia & Epitaphia quorundam clarorum
uirorum, in obitum Reuerendi uiri D.
Philippi Melanthonis.



FRANC. Apud Hæred. Chr. Egẽz
nolphi, Mense Ianuario, Anno
M. D. LXIII.

Danielis 12.

Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere,
euiglabunt: alij in uitam æternam, alij in oppro-
brium, ut uideant semper. Qui autem docti fue-
rint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui
ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in per-
petuas æternitates.

Apocalypsis 21.

Eccce tabernaculum Dei cum hominibus, & ha-
bitabit cum eis: & ipsi populi eius erunt, & ipse
Deus cum eis, erit eorum DEVS. Et abstersurus
est DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum.
Et mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor,
neq; dolor erit ultra, quia pri-
ma abierunt.

MAGNA

2

MAGNA SPE ET IN-
DOLE PRAESTANTI, REVE-
rendi & clarissimi uiri, excellenti doctrina, uir-
tute, & pietate, D. Pauli Eberi Kittingensis, Pa-
storis Ecclesiae Vuittebergensis, fi-
lij iunioribus L. Losß.

S. D.



V M sedeo ad men-
sam cum familia & fi-
lij meis, adolescen-
tes & pueri optimi et
charissimi, coniungi-
mus preces nostras
cum uestris orationi-

bus, quas assidente patre uestro, uiro
clarissimo & pijsimo, effunditis ad æ-
ternum & uerum Deum conditorem
& cōseruatorem cœli & terræ, patrem
domini & Emanuelis nostri Iesu Chri-
sti, & nostrū etiam per & propter hunc
ipsius filiū, in his postremis & ærumno-
sis temporibus, quibus tot tantaq; ma-
la iam diu experimur, & tristiora etiam
& plura, propter contemptum uerbi
Dei & alia multa & horrenda peccata,
nobis impendent. Non dubium est au-

PRAEFATIO.

tem, Deum propter preces uestras & aliorum puerorum, quos filius Dei amanter complexus est, nondum totam suam iram in mundum effundere, sed mitigare calamitates, propter pueros, quorum inuocatione & laudibus precipuè delectatur & flectitur, sicut inquit Psalmus 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam. Et filius Dei inquit ad hostes suos impediens ne ipsum in triumphali pompa pueri agnoscerent & celebrarent Messiam promissum: Si hi tacuerint, lapides clamabunt. Pergite igitur, optimi adolescentes, quod facitis, unà cum patre uestro uiro clarissimo, preces uestras coniungere cum tota Ecclesia ac cœtu puero nostro & alijs, deprecantes cum illis æternum & misericordem patrem, ut propter filium suum, in quo exauditionem nobis promisit, misereatur nostri omnium, & calamitates, quæ merentur peccata nostra, & impendēt omnibus, clementer tollat, aut certè mitiget, & inter nos, ut hactenus fecit, seruet & colligat, per uocem Euangelij, sibi æternam Ecclesiam, à qua ipse rectè agnoscatur.

PRAEFATIO.

scatur, inuocetur, & celebretur, quam iustitiæ suæ, lætitiæ, sapientiæ, uitæ & gloriæ faciat participem. Et conseruet etiam Ecclesiæ uestræ ac scholæ celeberrimæ & omnibus alijs, patrem uestrum, uirum reuerendum & clarissimum, excellenti doctrina, uirtute, & pietate, quàm diutissime incolumem & ualentem: cui ecclesiæ omnes meritò summas agunt gratias, pro tam perspicua, uera & catholica sententia, & publica confessione, de sacrosancta Cœna dominica, quam ardentibus uotis expectatam haud dubiè omnes aliæ Ecclesiæ, rectè sentientes, sicut nostra, ueram & catholicam iudicabunt, & amplectentur nobiscum: & damnabunt omnes alios, qui contra uerba expressa filij Dei, ab illa dissentiunt. Huius sententiæ ueræ, catholicæ, & Apostolicæ, & meam approbationem hoc breui & puerili libello publicè extare uolui, quem libellū uobis dedicatum, in publicam lucem edidi, ut aliquam saltem mutuae meæ bene uolentię significationem erga uestrum patrem uirū clarissimum, ederem, pro libellis, quos ad me toties, pro singula

PRAEFATIO.

ri sua humanitate & amore erga me, mi-
 fit, ut proximè orationem rhythmicam
 Germanicam, ad Christum dicendam,
 pro felici ac beato discessu ex hac uita,
 quam in gratiam uestram carmine item
 rhythmico & Elegiaco Latinè pueriliter
 uerti, & quædam alia addidi, consola-
 tionè, ut spero, allatura pijs, cõtra me-
 tum mortis, & uobis etiam grata futu-
 ra. Etsi autem hæc omnia multò melius
 & uberius audiatis ex patre uestro, ta-
 men spero etiam publicam hanc signifi-
 cationem meæ erga patrem uestrũ mu-
 tuæ beneuolentiæ libenter lecturos ef-
 se in hoc nostro libello. Bene ualete. Da-
 ta Luneburgæ, Anno reparatæ salutis
 nostræ per filium Dei, qui natus est no-
 bis puer, & donatus filius, ut redimeret
 nos à peccato, morte, & Satana, & hære-
 des efficeret sui æterni regni, Sicut in-
 quit Esaias cap. 9. Puer natus est nobis,
 & filius datus est nobis, cuius imperiũ
 super humeris ipsius &c. 1563. VIII. Ka-
 lend. Decembris. Huic puero nato no-
 bis & donato filio Emanueli nostro, cõ-
 mendo uos, studia uestra, & uitam o-
 mnem, ardentibus uotis orans, ut ipse
 uos

PRAEFATIO.

4

uos ducat, regat, gubernet, & confer-
uet quàm diutissime incolumes ad glo-
riam sui diuini nominis, & efficiat uos
quoq; organa, ut patrem uestrum, Ec-
clesiæ ipsius sancta, qui Deo
olim faciatis grata, &
multis salutaria.

Amen.

A 4

ORATIO VIRI RE
 VERENDI ET CLARISSIMI DO
 ctrina, uirtute, & pietate, D. Pauli Ebe-
 ri Pastoris Ecclesiae Vuittembergensis
 ad Christum, pro placido ac beato dis-
 cessu ex hac uita: scripta Germanicè &
 edita Anno 1562. dicenda quotidie à
 pijs ad Christum, præcipuè in
 his periculosis, & pestis
 feris tempo-
 ribus.

S O K Jesu Christ / war Mensch
 vnd Gott/
 Der du leydest marter / angst vnd
 spott/
 Für mich am Creutz auch endtlich starbst/
 Vnd mir deins Vatters huld erwarbst.
 Ich bitt durchs bitter Leiden dein/
 Du wöllst mir sündler gnädig sein.
 Wann ich nun kom in sterbensnot/
 Vnd ringen werde mit dem todt/
 Wann mir vergeht all mein gesicht/
 Vnd meine ohren hören nicht.
 Wann meine zunge nicht mehr spricht/
 Vnd mir vor angst mein hertz zerbricht.
 Wann mein verstand sich nit mehr hülff
 Vnd mir all Menschlich hülff zerritt.

So komm Herr Christe mir behend
 Zu hilff an meinem letzten end/
 Vnd für mich auß dem jamerthal/
 Verfürz mir auch des todes qual.
 Die bösen geyste von mir treib/
 Mit deinem Geyst stäts bei mir bleib/
 Biß sich die seel vom leib abwendt/
 So nim sie/ Herr/ in deine hend.
 Der leib hab in der erd sein rath/
 Biß sich der Jüngstag naht herzu.
 Ein frölich auffstend mir verlesh/
 Am Jüngstē gericht mein Vorsprech sei/
 Vnd meiner sünd nicht mehr gedencē/
 Auß gnaden mir das leben schencē/
 Wie du hast zūgesaget mir
 In deinem Wort/ das traw ich dir:
 Fürwar fürwar euch sage ich/
 Wer mein wort hält vñ glaubt an mich/
 Der wirt nicht kommen ins Gericht/
 Vnd den todt ewig schmecken nicht.
 Vnd ob er schon hie zeitlich stirbt/
 Mit nichten er dumm gar verdirbt/
 Sonder ich wiln mit starcker handt
 Entreissen auß des todes band/
 Vnd in mit nemen in mein Reich/
 Da soll er dann mit mir zugleich
 In freuden leben ewiglich/
 Darzū helff vns ja gnädiglich.

Ioan. 5.
 28.

Nch Herr vergib vns vnser schuldt/
Hilff daß wir warten mit gedult/
Bis vnser ständlin Kompt herbei/
Nuch vnser glaub stäts wacker sei/
Deim Wort zutrawen vestiglich/
Bis wir entschlaffen seliglich.
Amen.

VERSA LATINE CAR
mine rhythico.

O Domine Iesu Christe,
Qui homo Deusq; uerè
Passus flagra, martyria,
Angores et conuitia,
Tandem in cruce moreris,
Gratiam mihi consequeris,
Per tua rogo uulnera,
Mea remitte crimina,
In mortis cum periculo
Contra mortem certauero,
Oculi cum caecutiunt,
Auresq; nihil audiunt.
Lingua nec mea loquitur,
Cor præ dolore frangitur,
Mens omnis mihi excidit,
Auxilium humanum disperit,

Hic

Hic mihi Christe subito
Veni, precor, auxilio,
Dæmonas à me abige,
Semper apud me remane,
Donec abit à corpore
Anima, quam tunc recipe.
Corpus in terra iaceat
Dum summus dies ueniat.
Horam da mihi placidam,
Ad te, ô Christe, ueniam,
Patronus mihi assiste
Semper omni periculo.
Remitte mihi crimina,
Da uitæ gratis gaudia,
Quod tua fert promissio,
Accepto letus gaudio:
Sermonem qui seruauerit
Meum, quicumq; fuerit,
Non mortis unquam spicula
Gustabit ille lurida.
Nec uenit in iudicium,
Ob mortis meæ precium,
Quamuis hic temporaliter,
Non perit æternaliter,
Nam gygas ego manibus
Rapiam mortis funibus,
In regnum meum transferam,
In eandem ipsum gloriam.

In summis ut sit gaudijs
Mecum tum & perpetuis.
Peccata nobis omnia
Per tua laxa uulnera.
Da ut per patientiam
Expectemus horam ultimam,
Semper fac ut sit uiuida
Fides per bona opera,
Tibi fidamus firmiter,
Quiescamus & suauiter.
Hoc da Christe fideliter,
Tecum uiuamus iugiter.
Amen.

VERSA CARMINE EL E
giaco.

Qui Deus aetherei genitus de mente parentis,
Verus es & casta uirgine natus homo:
Supplicia, angores, poenas, conuitia, risus,
Sputaq; perpeffus, uulnera, flagra, necem.
Quiq; crucis duro moriens in stipite, patrem
Placasti, magna pro bonitate mihi.
Te, bone Christe, precor tua per pia uulnera, mor
tem,
Esse mihi clemens, esse bonusq; uelis.
Tristis ubi tandem mihi mortis uenerit hora,
Pugnaq; cum saeuo est hoste aduenda mihi,
Lumina

Lumina cum nequeo fluitantia tollere caelo:
 Non capiunt aures uerba diserta mea.
 Certa q; nec poterit uoces mea reddere lingua,
 Frangitur immenso corq; dolore meum.
 Atq; intellectu mea cum mens excidit omni,
 Non habet auxilium, quod feret ullus homo,
 Hic, bone, qui seruas nullū non Christe, precantē
 Tempore, ser clemens, tu mihi, mortis, opem.
 Hac me ærumnarum deduc exualle quietum,
 Atq; leua mortis pondera dura mee.
 Demonas infernos procul à me pelle malignos,
 Me sistat circum spiritus usq; tuus.
 Spiritus à fragili meus hoc cum corpore cedit,
 Cedentem placida suscipe, Christe, manu.
 In terra corpus, tranquilla pace, quiescat,
 Dum summus mundo uenerit ipse dies.
 Da, rogo, cū sanctis letus, bone Christe, resurgā,
 Et causam clemens tum tueare meam.
 Crimina, ne teneas memori mea plurima mente,
 Et dona uitæ gaudia leta mihi.
 Hoc tua diuini dulcis promissio uerbi
 Afferit: huic credo, non dubitante fide.
 Qui mea cunq; pius seruabit dogmata, & omnem
 In me spem ponet, gaudia leta feret.
 Iudicis ad sedem ueniet non ille ferocis,
 Gustabit mortis spicula nulla trucis,
 Et quamuis mortem subeat mortalis ut omnis,
 Attamen haud totus disperijisse potest.

Nanq;

Etanq; manu, Satanae uictor mortisq; potenti
Eripiam à mortis funibus ipse mea.
Inq; mei ducam caelestis gaudia regni,
Gaudia, quae nullo sunt peritura die.
Hoc te, Christe, tua, qua nos complecteris omnes,
Ut nobis dones pro bonitate, precor.
Hac etiam summa nobis bonitate remittas,
Nostras quae mentes, debita multa, grauant.
Constantes uera serues pietate fideq;
Ultima dum uita uenerit hora, precor,
Utq; tuum nomen per nos celebretur ubiq;
Da uigeat sanctis fructibus ipsa fides.
Atq; tuo certò fidamus pectore uerbo,
Placida dum soluet lumina nostra quies.

ANTIPHONA IN DIE OMNIVM
sanctorum: O quàm gloriosum est re-
gnum, in quo omnes sancti gaudent
cum Christo, amicti stolis albis se-
quuntur agnum, quocunq;
queierit. Apo-

ca. 14.

Aetherei ò quanta est caelestis gloria regni,
Gloria, quae iustos non peritura manet?
Omnes quo sancti cum Christo semper in arce
Aetherea leti gaudia leta canunt.
Atq; stolis albis agnum comitantur amicti,
Agnus quò tantus fertq; refertq; pedem.

Agnus

8

Agnus per mortem cœli penetravit in arcem,
Per mortem sancti cœlica regna petunt.
Hæc me sustentat miserum, spes unica Christe,
Massam quòd nunquam deseris ipse tuam.
Solus es in cunctis spes nobis certa periclis,
Orbis & hic totus cum ruiturus erit.

GRATIARVM ACTIO POST SUMMAM
ptionem corporis & sanguinis
Christi in cena eius.

Laus tibi, summe pater Gnati, quòd corpore pa-
scis,

Sanguine defessos nos reficisq; tuo.

Da pater, in cunctis cibis hic potusq; saluber

Acrumnis seruet nos recreetq; malis.

ALIA PETITIO ET GRATIA-
rum actio veteris Ecclesiæ.

Quæ lingua, aut quæ mens, tibi dignè gratias
agere ualeat, Domine Iesu, pro ineffabili tua in
nos charitate? Qui, ut hominem perditum redi-
meres, homo fieri dignatus es, omnesq; nostræ con-
ditionis iniurias, in te recipere, deniq; in ara cru-
cis agnus omnis expers macule, hostia pro nobis
fieri sustinuisti, pœnas nostris peccatis debitas
exoluens, ut nos patri tuo reconciliares: quim &
uiuens & moriens, te totum nobis impendisti, do-
nasti, dedicasti. Nec his contenta fuit tua benigni-
tas,

tas, sed, ne quando nobis obreperet tanta charitas
obliuio, aut ne languesceret nostra de te fiducia,
etiam nunc in caelis regnans, subinde reficis
animas nostras cibo corporis tui, & sacro sanguine
tui poculo exhilaras. Purificet, quaeso, spiritus
cor meum, ne ad caelestes epulas, & ad mensam,
etiam ipsis angelis tremendam, accedam indignus:
sed, te diffuso in mentis meae uiscera, grandescam
in te, ac uegetior fiam spiritualibus incrementis,
quo perseuerem in beata societate mystici
corporis tui, quod sic unum tecum esse uoluisti,
quemadmodum tu cum patre unum es, conglutina-
nte spiritu sancto. Cui laus & gratiarum actio
in omne aeuum. Amen.

V E R S V S.

Quae tibi lingua ualet, dignas, aut dicere, quae
mens

Grates, quo mereris, pectore Gnate Dei?

Grates, pro summo, quo nos complexus, amore,

Es Deus, è casta uirgine, natus homo.

Natus homo, ut redimas hominem, reddasq; bea-
tum,

Qui Satanae seui perditæ massa fuit.

Quinetiam ærumnas in te dignaris & omnes

Esuriem atq; sitim tolerans, et frigora, & aestum,

In cunis uâgis, summus in orbe Deus.

Agnus

Agnus & in ligno macula semotus ab omni,
 Pro nobis moreris uictima grata Deo.
 Victima, qui nostro pœnas pro crimine soluens
 Concilias nobis, optime Christe, patrem.
 Omnia quin uiuens moriens tua teq; benignè
 Impendis totum, dasq; dicasq; tuis.
 Sed tua non pietas fuit his contenta benigna.
 Muneribus tantis nos cumulasse tuis.
 Nanq; etiam nostras reficis nunc corpore mentes,
 Et roseo exbilaras sanguine saepe tuo,
 Ad dextram regnans æterni patris Olympo,
 Cuncta replens tellus quæ tenet, atq; polus.
 Ne capiat quando nos tanti obliuio amoris
 In te, nec fiat languida nostra fides.
 Spiritus emundet mihi cor tuus oro benignus,
 Spiritus hic solus pectora munda facit.
 Dignus ut has epulas ad eam mensamq; beatam,
 Mensam, quam cœtus cœlicus ipse tremit.
 Visceribusq; meæ te fuso mentis ab alto
 In te grandescam, sim uegetusq; magis.
 Cœtibus ut maneam socius membrumq; piorum
 Corporis, hæc inter mystica membra, tui.
 Corporis hæc unum sint in te membra per omne,
 Vnus ut es gnatus tuq; paterq; Deus.
 Spiritus hæc iungat diuini sanctus amoris
 Vincula: cui summo gloria summa Deo.

DICTVM CHRISTI IOANNIS
8. Amen amen dico uobis, Si
quis sermonem meum ser-
uauerit, mortem non
uidebit in æter-
num.

*Qui mea cunq; pius seruat uerba, uidebit
Non unquam mortem post sua fata graucina
Est mea mors uite cunctis coelestis origo:
Est mea mors pavidis, spesq; salusq; pijs.
Morte λ' τροϋ solui, uitam mea uita reduxit,
Mortuus hic uitam, qui mihi fidit, habet.*

DICTVM IOANNIS 3. NEMO
ascendit in cœlum, nisi qui descendit de
cœlo, filius hominis, qui in cœlo. Et, si-
cut Moses exaltauit serpentē in deser-
to, ita exaltari oportet filiū hominis, ut
omnis, qui credit in eum, non pereat,
sed habeat uitam æternam. Sic enim De-
us dilexit mundum, ut filium suum uni-
genitum daret, ut omnis, qui credit
in eum, non pereat, sed ha-
beat uitam æter-
nam.

*Non hominum quisquam spaciosi culmina cœli
Scandere, qui toto uiuit in orbe, potest. Filius*

Filius huc hominis, claro qui uenit Olympo,
 Quiq; agit in cœlis, solus adire potest.

Huic hominis Gnato quisquis confidit, & ipse
 Hac petet, ut Gnatus, cœlica regna, scala.

Nam uelut eremo serpentem extollit in altum
 Moses, quo uiso destitit atra lues:

Sic hominis ligno Gnatus tollatur & ipse
 Est opus, & fiat uictima grata Deo.

Quisquis ut hoc fedit, cœlestis nomine Gnati,
 Isteneat uitæ gaudia leta fide.

Tam Deus ardenti mundum dilexit amore,
 Vnigenum ut Gnatum cœlitus ipse daret,

Ne pereat quisquam credens hoc nomine Gnati,
 Ast habeat uitæ gaudia longa sibi.

DICTA ALIQ VOT CONSOLA
 toria præcipua, pro morituris &
 mortem metuen-
 tibus.

I. Esaia 26.

Viuent mortui tui: Interfecti mei resurgent.
 Expergiscimini & laudate, qui habitatis in pul-
 uere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum
 detrahes in ruinam. Vade populus meus, intra in
 cubicula tua, claude ostia tua super te, absconde
 re modicum ad momentũ, donec pertransseat in-
 dignatio mea.

II. Iob 19.

Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouissi-
mo die de terra resurrecturus sum. Et rursus cir-
cundabor pelle mea, & in carne mea uidebo De-
um. Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei con-
specturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes
mea in sinu meo.

III. Ioannis, inquit

Christus:

Amen amen dico uobis, Qui sermonem meum
audit, & credit ei, qui misit me, habet uitam eter-
nam, & in cōdemnationem non ueniet: sed transi-
uit à morte in uitam.

IIII. Ibidem.

Amen amen dico uobis, Quòd uenit hora, &
nunc est, quando mortui audient uocem filij homi-
nis, & qui audierint uiuent. Sicut enim pater ha-
bet uitam in semetipso, sic dedit filio habere uitã
in semetipso: & potestatem dedit ei iudicandi
quoq;, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc:
Quia ueniet hora, in qua omnes, qui in monumen-
tis sunt, audient uocem eius, & prodibunt: qui bo-
na fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò ma-
la egerunt, in resurrectionem condemnationis.

V. Idem cap. 11.

Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me,
etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis, qui uiuit
& credit in me, non morietur in æternum.

VI.

VI. Roma. 8.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificet: quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est: imò qui & suscitatus est, qui etiã ad dexteram est Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à dilectione Dei (qua nos diligit in filio) nūc afflictio? num angustia? num persecutio? num fames: num nuditas? num gladius? &c.

VII. 1. Corinth. 15.

Inquit Apostolus, probans nostram futuram resurrectionem ex resurrectione Christi, cuius membra sumus. Quia, ut inquit D. Augustinus, quod (quæ resurrectio) præcessit in capite (Christo) sperandum est in membris (Ecclesia & pijs omnibus).

Quòd si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos, non esse resurrectionem mortuorum? Porro, si resurrectio (omnino) mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit.

Quòd si Christus non resurrexit, inanis uidebitur prædicatio nostra, inanis autem est & fides uestra. Reperimur autem falsi testes Dei, quos inani testimonio testificati sumus de Deo, quòd excitauerit

Iesum, quem non excitauit, si uidelicet mortui non resurgunt.

Ergo nec Christus ipse resurrexit. Valet consequentia ab uniuersali ad particulare, negatiuè. Sicut addit: Etenim si mortui (omnino nulli) non resurgunt, ne Christus quidè (mortuus) resurrexit. Vnde hæc falsa & blasphema in Deum sequeretur: Quòd si Christus non resurrexit, sup^{acac} nea est fides uestra: adhuc estis in peccatis uestris. (Quia Christus si mansisset in morte, mortem non uicisset, neq; peccatum deleuisset, à quibus ipse oppressus esset, si non resurrexisset.

Igitur, qui obdormierunt in Christo, perierunt. (Quia adhuc sunt in peccatis suis, quæ Christus oppressus à morte, non aboleuit.)

Si in uita hac spem in Christo tantum habemus, maximè miserabiles omnium hominum sumus.

Nunc autem (illatio seu confutatio erroris à positione consequentis ad positionem antecedentis) Christus resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormierunt.

Conclusio. Ergo est resurrectio mortuorum, & omnium hominum Christiani sunt felicissimi. Quia, sicut Christus resurrexit: ita & ipsi resurgent cum ipso à mortuis, perfructuri dulcissima consuetudine ipsius in uita eterna, ornati æterna iustitia, sapientia, letitia, & uita.

SVMMA ARGVMENTA
tionis Apostoli.

Christus resurrexit à mortuis, iuxta scripturas. Confirmatio ab experientia ipsius Pauli, & ceterorum Apostolorum & discipulorum Christi, qui ipsum resuscitatum uiderunt dies quadraginta, edentes & colloquentes cum ipso.

Ergo & nos resurgemus in ipso. Ratio consequentiae, quia sumus membra eius, caro ex ipsius carne, & ossa ex ipsius ossibus. Ephe. 5. Quod enim, inquit D. Augustinus, præcessit in corpore, sequetur & in membris. Vnde inquit Apostolus 1. Thessalo. 4.

VIII. 1. Thessa. 4.

Nolo uos ignorare, fratres, de his, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & ceteri, non habentes spem. Nam, si credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini, quod nos, qui uiuimus, & reliqui erimus in aduëtu Domini, nequam præueniemus eos, qui dormiunt. Quoniam ipse Dominus cum hortatu, & uoce Archangeli & tuba dei, descendet de caelo: & mortui in Christo resurgent primū: deinde nos, qui uiuimus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum domini, in aëra, & sic semper cum domino erimus. Proinde cōsolamini uos mutuo sermonibus his.

Nostra conuersatio in caelis est; ex quo & seruatorum expectamus, dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conformentur ei, reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam sibi subijcere omnia.

X. Coloss. 3.

Fratres, si resurrexistis cum Christo, superna querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curate, non terrestria: siquidem mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando cumq; Christus manifestatus fuerit, uita uestra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria.

DICTA IRENAEI DISCIPULI POLYCARPI, qui uixit Anno 180. de ueritate corporis & sanguinis Christi in cena, qua nostrorum corporum resurrectionem futuram probat, inquit lib.

4. contra Valentinianum,

cap. 1.

I. Quomodo dicunt quidam, carnem (nostram, hoc est, corpus) in corruptionem deuenire, & non percipere uitam, quae (caro nostra) a corpore & sanguine Domini (accepto & hausto in ipsius coena) alitur?

Ibidem.

Ibidem.

II. Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens uocationem Dei, non iam communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena (pane & uino) & cœlesti (corpore & sanguine Christi,) sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, non sunt corruptibilia, quia habent spem resurrectionis.

Et lib. 5. cap. 5.

III. Eum calicē, qui est creatura, suum sanguinē esse confirmauit, ex quo nostra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix & factus panis percipiunt uerbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem nostram negant capacem esse donationis Dei, quæ (donatio Dei) est uita æterna, quæ (caro nostra) corpore & sanguine Christi nutritur, & eius mēbrum est?

S V M M A H V I V S A R G V

mentationis.

Non prorsus corrumpitur, sed immortale & gloriosum resurget, quod corpus & sanguinem Domini, in cœna ipsius, percipit.

Caro nostra, corpus & sanguinem Domini, in cœna ipsius, non tantum spiritus, percipit.

Ergo caro nostra seu corpus, non prorsus interit, sed resurget immortale & gloriosum. Hoc

argumento sanctissimus pater Irenaeus irrefragabiliter ostendit, communicātes etiam corpus & sanguinem ipso ore edere & bibere, sicut ipse inquit filius Dei, qui uerax & omnipotens est: Edite, hoc est corpus meum: & bibite, hic est sanguis meus,

Oratio S. Dionysij pro pio
& felici discessu ex
hac uita.

Dulcissime Domine Iesu Christe, splendor paterna gloriae, & sol iustitiae, qui pro me in digno seruulo tuo dignatus es uilissimam pati doloris formulam, qui in monte Caluarie pro mundi redemptione animam tradidisti, & patri orans eam commendasti: presta mihi huius amarissimae mortis tuae dolorem, pariter & amorem, iugiter in petore meo circumferre, atque ad commoriendum tibi, per mortificationem omnium uitiorum quotidie me ipsum exercere, ut appropinquante uitae termino, in luce miserationum tuarum merear respirare, & tecum in paradisi gaudia feliciter introire. Adesto mihi morienti, succurre agonizanti, occurre desideranti, defende me ab hostibus, eripe me de arumnis, consolare gementem, confortare tremantem, refoue deficientem, suscipe expirantem. Vltimum uerbum tuum in cruce, sit ultimum uerbum

bum meum in hac luce, & cum amplius fari non
possim, exaudi finale desiderium meum. Pater in
manus tuas commendo spiritum meum, redemisti
me Domine, Deus ueritatis. Amen.

Oratio Diui Augustini Libro 1.
cap. 16. de uisitacione
infirmorum.

Deus meus, Deus meus, misericordia mea, refu-
gium meum, te desidero, ad te confugio, ad te ueni-
re festino, ne despicias me sub tremendo discrimi-
ne positum, adesto mihi propitius in his meis ma-
gnis necessitatibus. Non possum me redimere meis
operationibus, sed tu redime me, & miserere mei,
diffido de meis meritis, sed confido de miseratio-
nibus tuis: & plus confido de tuis miserationibus,
quam confidam de malis actibus meis. Tu es spes
mea, Deus meus, tibi soli peccaui, mea culpa. Qui
sui tibi charus ad redimendum, non sim uilis ad
perdendum. Et nunc ad te uenio, qui nulli dees.
Cupio dissolui, & esse tecum. In manus tuas com-
mendo spiritum meum Domine. Respice in me
Domine Deus ueritatis, et presta mihi, Deus me-
us, ut in pace dormiam, & requiescam. Qui in
Trinitate perfecta uiuis & regnas Deus, per
omnia secula seculorum.

Amen,

Oratio

Oratio pro eodem Eccle-
siæ ueteris.

O Domine Iesu Christe, fili Dei uiui, crucifixe
propter hominem, rogo te propter sancta uulne-
ra tua, ut hodie omnia uulnera anime mee sanes,
& custodias me hodie, & omnibus diebus uitæ
mee à mortali peccato, & omni confusione, ten-
tatione, infamia & scandalo, & ab omni anime
& corporis periculo. Custodi me, pie Deus, ho-
die & quotidie à subitanea & improuisa morte.
Custodi me, omnipotens Deus, in æternum à ge-
hennalibus pœnis, & inferno intolerabili. Deus
clemens, da mihi hodie & quotidie certum sensum
& intellectum cogitandi & agendi, quæ tibi
placent, & quæ tibi displicent fugiendi & uitan-
di, ita ut nunquam à gloria tua excludar. Deus mi-
sericors, Deus pie, Deus clemens, cuius miseratio-
nes sunt super omnia opera tua, propter sancta
uulnera tua, & propter amarā mortem tuam,
da mihi mortem bonam & sanctam. Da mihi mo-
ri morte iustorum, & da nunquam moriar, nisi ti-
bi perfectè placeam, & cum perceptione sanctifi-
cimi corporis & sanguinis tui, ut pleno sensu, si-
de certa, spe firma, charitate perfectā, letè ad te
transire merear, & gratiam in conspectu tuo in-
uenire, & gloriam consequi sempiternam.

Amen.

Alia

Alia eiusdem.

Domine Iesu Christe, fili Dei uiui, qui pro salute mundi, in cruce felle & aceto potatus es: sicut tu, cōsummatas omnibus, in cruce expirans in manus patris commendasti spiritum tuum, sic in hora mortis meae, in manus pietatis tuae commendo animam meam, ut eam in pace suscipias, & in electorum tuorum choris aggregari praecipias. Qui uiuis & regnas cum Deo patre in unitate spiritus sancti, Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Roma. 8.

Si Deus est summus pro nobis, nosq; tuetur,
Quid poterit contra nos ualuisse malum?
Qui proprio haud parcit Gnato, sed tradidit illū
Pro cunctis λύτρον fiat ut ante Deum,
Qui non cum Gnato nobis donaret eodem
Omnia, qui Gnatum, gaudia summa, dedit?
Quisue Dei electis intentet crimina, quisue
Condemnet iustos, quos uocat ipse Deus?

PHILIPPVS MELANTH. IN
Ecclesiast. Regula
uitæ.

Cum humani conatus sine Deo irriti sint, tantum facias mandata diuinitus, & petas, ut ipse te regat & adiuuet. Vult enim adiutare seruitentes
in uos

In uocatione, & inuocantes ipsum. Vt Psal. 36. in-
quit: Commenda Domino uiam tuam, & ipse faci-
et.

V E R S V S.

Est hominum, magnus quamuis, labor irritus o-
mnis,

Quem non successum fouerit ipse Deus.

Ergo, tibi Dominus, facito, quæ iusserit, atq;

In cunctis petito, te regat, atq; iuuet.

Namq; iuuat, rectè peragunt qui munia uitæ

Inq; uocant cunctis ad sua uota Deum.

Cuncta tuæ manda Domino conamina uitæ

Et faciet Dominus prospera quæq; tibi.

DICTVM DIVI BERNHARDI IN
agone mortis: Perditè quidem uixi, sed
Dominus meus Christus duplici iure
cælum possidet, & quia filius est, & quia
in cruce moritur: altero conten-
tus, alterum mihi donat.

V E R S V S.

Perdita traduxi duræ meæ tempora uitæ,

Vnica sed misero hæc spes mihi certa manet:

Quòd duplici Christus cælum de iure redemptor
Possidet, & regni gaudia læta patris.

Natus ab æterni primum est quia mente parentis
Deinde quòd emeruit regna beata cruce.

Contentus

Contentus primo, cœlum quod possidet hæres,
 Quod meruit, donat ius mihi morte Deus.

DE ECCLESIA FLUCTVANTE
 inter uarias ærumnarum &
 periculorum pro-
 cellas.

Christiadum seuis agitur cymba procellis,
 Cædibus, exilio, fulmine, peste, fame.
 Hanc nisi tu serues agitatam, Christe benigne,
 Non poterit tantis hæc superesse malis.
 Ergo tuam cunctis cymbam seruato periculis,
 Ne pereant cœtus, quos uehit illa pios.

PRECATIO AD CHRISTVM.

Desere ne, quorum gestas de sanguine massam,
 Sed tua nos clemens dextera Christe regat.

LOCI CONSOLATIONIS ADVER-
 sus metum mortis, ex Antidota. D.
 Hieronymi Vuelleri bre-
 uiter excerpti.

1. Sumitur à discrimine mortis piorum & im-
 piorum: nam impij cum ex hac uita illis est mi-
 grandum, non simpliciter metu mortis anguntur,
 sed horribiles terrores mortis & dolores inferni
 sentiunt.

sentiunt. Ideo partim doloris magnitudine, partim desperatione fracti, runt in aeternam mortem. Quia enim summum bonum, hoc est, Deum amiserunt, omnibus ueris & firmis solatijs & praesidijs destituuntur. De hac morte scriptura dicit: Mors impiorum pessima, pij autem non sentiunt uere tales horrores mortis, quia Deum habent, qui in cordibus ipsis per spiritum sanctum dicit consolationem, ne magnitudine dolorum, & sensurae Dei desperent. Vnde inquit Christus Ioannis 8. Amen amen dico uobis, Qui sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum.

2. A liberatione ex omnibus calamitatibus, qua fit in morte piorum. Nam pij migrantes ex hac uita, non extinguuntur nec moriuntur, sed quasi ex carcere in amoenissimum paradysum, ex inferno in caelum, ex multis & infinitis calamitatibus atque aerumnis eripiuntur, ad quietem & pacem suam perueniunt, iuxta illud Esaiæ 56. Iustus uenit ad pacem, & requiescit in cubili suo.

3. A perpetua uita piorum, seu impossibilitate moriendi, qui uerbo Dei credunt, in eoq; acquiescunt, sicut inquit Christus Ioan. 11. Ego sum resurrectio et uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in aeternum. Item Ioan. 8. Amen amen dico uobis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum. Item Ioan. 14. Ego uideo,

uiuo, & uos uiuetis. Ioan. 10. Oues meae non peribunt, & nemo rapiet eas ex manibus meis. Item: Vbi ego sum, et uos eritis. Oseae 13. Ero mors tua, & mors, pestis tua inferne. 1. Corinth. 15. Absorpta est mors in uictoriam. Gratia autem Deo, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

4. A perpetuo auxilio, & praesentia Dei, & spiritus sancti in morte, & omnibus uitae periculis. Deus, qui haecenus pios in multis discrimibus & periculis, tot annos per totam uitam seruauit, & ex multis & horrendis tentationibus, & sepe ex porta mortis eripuit, etiam illis in agone mortis affuturus est, & spiritu suo sancto ita confirmaturus, ut forti animo, & firma laetaque fide animam suam in manus eius commendent, placideque in Christo obdormiant, sicut Christus promisit Ioan. 8. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in aeternum, id est, horrores & amaritudinem mortis non sentiet.

5. A futura resurrectione corporum nostrorum in nouissimo die, ex morte, & donatione immortalitatis, uitae, gloriae ac letitiae, qua Christus credentes in ipsum ornabit in regno caelorum, cum primum corpora sua conuersa in puluerem, recepturi sunt uiua, sana, incorrupta, angelica, perniciosissima, & fragrantissima, sicut Paulus docet 1. Corin. 15. Et Christus Matthaei 13. inquit: Tunc iusti fulge-

bunt, ut sol in regno patris mei. Et Philip. 3. Inquit Apostolus: Christus reformabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Deinde, Deum ipsum coram uidebunt, sicuti est, Ioan. 3. à facie ad faciem. 1. Corinth. 13. fruentes suauissimo conspectu Dei & angelorum, & piorum omnium, in omnem æternitatem: de qua ineffabili lætitia inquit Paulus 1. Corinth. 2. ex Esaiã 64. Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nõ ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.

Consolatio Prudentij, eorum qui
parentes, liberos, amicos, per
mortem amiserunt.

Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,
Nulla sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio uitæ est.

Quidnam sibi saxa cauata,
Quid pulchra uolunt monumenta?
Res, quod nisi creditur illis,
Non mortua, sed data somno.

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente, uidemus,
Spacium breue restat, ut alti
Repetant collegia sensus.

Venient

Venient citò secula, cum iam
 Socius calor ossa reuisat,
 Animatumq; sanguine uiuo
 Habitacula pristina gestet.

Quæ pigra cadauera pridem
 Tumulis putrefacta iacebant,
 Volucres raptentur in auras,
 Animas comitata priores.

Sic semina sicca uirescunt,
 Iam mortua, iamq; sepulta,
 Quæ reddita cespite ab imo,
 Veteres meditantur aristas.

Nunc suscipe terra fouendum,
 Gremioq; hunc concipe molli,
 Hominis tibi membra sequestro,
 Generosa & fragmina credo.

Animæ fuit hæc domus olim,
 Factoris ab ore creatæ,
 Feruens habitauit in istis
 Sapientia, principe Christo.

Tu depositum tege corpus,
 Non immemor ille requiret,
 Sua munera uictor & autor,
 Proprijq; ænigmata uultus.

Veniant modò tempora iusta,
 Cum spem Deus impleat omnem,
 Reddas patefacta, necesse est,
 Qualem tibi trado figuram.

Gratiarum actio & precatio
ad Christum.

Agimus tibi gratias Domine Iesu Christe Fili
& λόγῃ Dei aeterni patris, conditor & conser-
uator, cum eodem aeterno patre tuo & spiritu san-
cto, caeli & terra, mediator, redemptor, & salua-
tor noster unice, quod carnem nostram assumere
dignatus es, iuxta arcanum & admirandum des-
cretum diuinitatis, in quo te ex ineffabili amore
erga perditum humanum genus, deprecatorē in-
ter nos & aeternum tuum patrem obtulisti, & in
assumpta carne nostra ex uirgine, reuclasti nobis
uoluntatem patris tui, & factus es pro nobis ui-
ctima, λύτρον persoluens, & haec summa tua &
aeterna beneficia, in uerbo tuo Ecclesiae proponis,
& ministerium Euangelij, & uerum usum Sacra-
mentorum, sedens ad dextram aeterni tui patris,
uerus Deus & uerus homo, instituisti & conser-
uas, repellis à nobis Diabolo, & reprimis tyran-
nos, qui Ecclesiam tuam delere conantur, & am-
plectentes tuum sanctum Euangelium, & legiti-
mum, uerum & integrum usum sacramentorum
conseruantes, regis, consolaris, exaudis & saluas:
mitiga quae sumus imminentes nobis calamitates,
pestilentiam, famem, et bella, quae peccatis nostris
commeruimus, in media ira memor misericordiae
tuae, & in his imminetibus malis, concede nobis
patientiam, & consolationem, ne de tuo erga nos
fauore,

fauore, & misericordia dubitemus: & illis quos
 iuxta tuum æternum & immutabile decretum cõ
 stituisti nunc ex hac calamitosa uita ad te euoca
 re, da firmam in te fidem, ut in uera & constantè
 tui & patris tui agnitione, fiducia et inuocatione
 expirantes, ad te in æternam uitam placidè emi
 grent: Qui uiuis & regnas unà cum patre
 & spiritu sancto æternus, uerus &
 unus Deus, benedictus in
 omnia secula.

Amen.

ELEGIA IN OBITU M
REVERENDISSIMI VIRI, OMNI-
busq; pietatis, doctrinae, & sapientiae
numeris absolutissimi D. Philippi Me-
lanthonis. Autore Georgio Craco-
uio, I. V. D. & Professore in Aca-
demia Vuirtenber-
genfi.

VRBIS iacet ad ripas Rheni, quae SPIRA
 uocatur,

Iustitiae sedes iudicijq; locus:
 Imperij regale decus, praecleara uirorum
 Fixit in hac aedes urbe corona suas.
 Condidit hanc fortis Caesar Constantius olim,
 Cuius mater ibi contumulata iacet.
 Hic ego Pampiferis meditans spaciabar in hortis,
 Missus ab illustri principe forte meo.
 Ecce mihi occurrit lugubri ueste recincta
 Vna e Pieridum diua modesta choro,
 Non mihi uisa prius simili circumdata cultu,
 Candidus in facie haud qui fuit ante, nitor.
 Haec sibi quid, dixi, species uult, Diua, dolentis,
 Cur planctu coelum cur gemituq; replet?
 Cur ita profundis lachrymas, cur pectora pulsas?
 Cur caput, innocuos cur lacerasq; sinus?
 Ingemit illa, alto ducens suspiria corde,
 Singultusq; uetat, quod cupit ore loqui.

Incipit,

Incipit, at rursus titubans uox faucibus hæret,
 Verba quidem, sed non articulata, facit.
 Indignata tamen, tandem prorumpit, & inquit:
 Nuncia quærenti certa doloris ero.
 Ille uir ornatus diuina mente MELANTHON,
 Cuius doctrinam nouit uterq; polus,
 Ille, inquam, meritò totus quem suspicit orbis,
 Quem chorus Aënidum, Phœbus & ipse colit,
 Ille tuis oculis tibi carior, optinus ille
 Nunc obiit, fatis occubuitq; suis.
 Hæc ad uerba, meos quatiens tremor occupat artus,
 Et lachrymæ ex oculis fluminis instar eunt.
 Illa sed ad solitos rediit sacrosq; recessus,
 Quodq; erat, ostendit numen inesse sibi.
 Numinibus sacris uel dicta sinistra precari,
 Omnibus haud paruum ducitur esse nefas.
 Attamen hic optem diuam mihi falsa tulisse,
 Nil dubito, ueniam uel Deus ipse dabit.
 O uenerande senex, longo dignissime seelo,
 Dimidiumq; animæ, clare PHILIPPE, meæ.
 Inferias tibi quas, quæ debita munera soluam?
 Luctumq; ostendam qua ratione meum?
 Multa quidem meditor, multum mihi scribere mens
 Illis ingenio ex nascitur ipsa tuo. (est,
 Sed partim dolor hoc prohibet, partimq; pudore
 Impedior, quia me candida Musa fugit.
 Non ego Parnasi ad conscendi culmina montis
 Nuper, & Aënidum non mihi uisa cohors.

Parua meis numeris est gratia, carminis usque
Longo intermisso tempore, Iura sequor.
Aönijs igitur nunc uatibus ista relinquo,
Quorum clara uirum fama per ora uolat.
Stigelij potius, culti potiusq; Sabini
Carmina de tristi hoc funere scripta legam.
Vel quos Lotichius, condendi carminis autor
Eximius, scribet conficietq; modos.
Hæc tamen ut nostrum cognosceret inde dolorem
Posteritas, iussit scribere fidus amor.
Me miserum, toties gelidus præcordia sanguis
Angit, & ex oculis lucida gutta cadit.
Doctiloqui quoties fit mentio grata PHILIPPI,
Illius & quoties scripta diserta lego,
Effigiem uel cum defuncti lumine cerno,
Viua est pictoris quæ mihi facta manu:
Et lachrymæ tristes, sæui & sine fine dolores
Me uexant, miseris conficiuntq; modis.
Et mihi siue libet doctos euoluere libros,
Quos suggestit ei spiritus ipse DEI:
Seu tractare iuuat numerosa uolumina Iuris,
Actaq; rixosi litigiosa fori,
Seu capio cœnam, seu sumere prandia cesso,
Siue thorum linquo, seu requiemq; peto,
Ante meos oculos mox se tua sistit imago
Flebilis, & luctum duplicat illa meum.
Non sic erepta doluit Briseide Achilles,
Non Orpheus uiduus sic quoq; mœstus erat,
Vt

Vt fuit insigni mea mens turbata dolore,
 Ad me (proh dolor) hæc cum mala fama tulit.
 SVM quibus impulsus fatis, quo numine ductus?
 Perlustrare tuos ô Basilea lares?
 Vrbs præclara quidem celebri dignissima laude,
 Vera loquor, similis non mihi uisa prius,
 Diues opum, populosa, caua munitaq; ualle,
 Cuius puniceo tecta colore nitent.
 Vnde uenit Titan, ubi rursus mergitur undis,
 Vnde Noti spirant, uel Cynosura micat,
 Vndiq; Pampineo te uestit collis amictu,
 Celsaq; discindit mœnia Rhenus aquis.
 Te colit insignis doctorum turba uirorum,
 Quorum laus toto nota sub orbe uiget.
 Inter quos meritò palmam sibi uendicat unus
 Doctor AMARBACHIVS, Iuris in arte
 potens.
 Omnigeno ille senex præstat uirtutis honore,
 Vix illi inuenias integritate parem.
 Illic complexi sunt me communiter omnes,
 Omnibus adueniens gratus ego hospes eram.
 In me quisq; suum ut contestaretur amorem,
 Officijs certat me decorare suis.
 Hic mihi cōmemorat patriæ monumenta uetusta.
 Alter magnificas diuitis urbis opes.
 Hic monstrat uarijs ornata palatia gemmis.
 Ille mihi ad templi limina monstrat iter.

Et simul ostendens ad opertum marmore bustum,
Quod tegit exanimum corpus ERASME tuū,
Hem, (quod demirror, mea quod præcordia mor-
det)

Facundi calco mæsta sepulchra uiri.
Horæ momento, nec non & lucis eodem,
Ultima quo uitæ fata MELANTHON obit.
Testis erit, natus generosa è stirpe Philippus
A Nassauu, patriæ gloria magna sue.
Doctus is est, culti placido sermonis ab ore
Dulcior Hybleo copia melle fluit.
Hunc ego Thesæo complector fœdere, rursus
Me, sua quem uirtus iam sibi iunxit, amat.
Tunc quia materiam præbebat triste sepulchrū,
Versibus his placuit condecorare locum:

» CONDITVR hoc tumulo moriens facundus

ERASMVVS,

» Ingenij clarus fertilitate sui.
» Cuius scripta uigent totum uulgata per orbem,
» Et laudem seræ posteritatis habent.
» Huic tu qui transis mollißima fata preceris,
» Et dic, ingenio uiuis ERASME, tuo
Omen erat numeris nostris, & fortè notabant
Altera Musarum lux quòd adempta foret.
Lux & uterq; fuit Musarum, ipsasq; reduxit
Luto ex Pimplæi Castalijq; lacus.
Ingenuis exculta geris quòd pectora Musis,
Quòd nosti Graium fortia facta ducum,

vel

Vel quòd Theſſiades cingunt tua tempora lauro,

Hoc iſtis debes Teutona terra uiris.

Dotibus ingenij eſt præclaris **ITALA** diues

Terra, pares tamen his non habet illa uiris.

Actatis teneræ primo ſub flore, **MELANTHON**

Cum uix ueſtiret criſpida barba genas,

Ipe ſenex quanti te fecerit unus **ERASMVVS**,

Quo ſit dignatus nomen honore tuum :

Teſtatur **SAPIDVS**, uitæ qui luſtra peregit

Octo bis, & iamiam tempora cana gerit.

Aſſedit claro is uir, quodã tempore, **ERASMO**,

Tradita cum legeret ſcripta, **PHILIPPE**, tua,

Haſtenus hic celebrem mox obſcurabit **ERAS-**

MVM

Exclamat, præfert teq; **PHILIPPE**, ſibi.

Si tribuenda fides **SAPIDO** eſt, ſi credere ſcri-

ptis

Fas eſt, iudicium uicit **ERASME** tuum.

Ingenui candoris erat ueluti, iſta fateri,

Sic magni ingenij, tale uidere, fuit.

Non mihi iudicium de uobis dicere ſumo,

Hoc onus **Actiaco** grande relinquo Deo.

Aeſtinet id præſens, ueniens uel iudicet ætas,

Cenſuram de ſeres ferat ipſa ſuam.

Iudicium tamen hoc leue non, falſumue fuiſſe,

Ex libris conſtat, docte **PHILIPPE**, tuis.

Dulce eſt eloquium, dulcis ſacundia **BEMBI**,

Laudem ſuauiſſimus uir **Sadoletus** habet.

Perq;

Perq; plagas mundi uolat inclyta fama Budæi,
Et passim doctos cernimus esse uiros.
Nostra illi similem tamen an cognouerit ætas,
Stet modò suffragio, docta Minerua, tuo.
Eheu quale decus mors abstulit inuida terris,
Quantum perpeffa est Teutona terra mali,
Hunc dolet Ausoniae tellus, hunc Græcia luget,
Mœstitiã illius ex funere Iberus habet.
Inuida sed forsã, liuoris plenaq; turba
Fronte subirata, carmina nostra legit.
Quæ non ferre potest præconia iusta bonorum,
Inq; suum nidum quæ malè grata cacat.
Ast ego non moror hos, uereor nec dicere uerum,
Nemo illo in toto doctior orbe fuit.
Gaudeat ingenio cur non Germania tanto?
Si C I C E R O N E suo Roma superba fuit.
Cur non extollat, uatum p̄ia turba, P H I L I P P V M,
Qui longè Latio plus Cicerone fuit.
Græcia uel cæcū quondã suspexit H O M E R V M,
Cur sileam laudes magne P H I L I P P E tuas?
Viuit enim, uiuetq; diu tua gloria, nullo
Doctrina atq; fides stat moritura die.
Sed cesso immodico nunc indulgere dolori,
Manibus atq; tuis mitia fata precor.
Hanc natura potens firma dedit ordine legem,
Desinat ut, quidquid coeperit esse semel.
Finem cuiq; suum dat ineuitabile fatum,
At tu perpetuò uiuere dignus eras.

Sint

Sint tua membra licet tumulo circumdata paruo.

In Christi uiuis nunc tamen ipse sinu.

Hunc oculis coram cernis latantibus, illum

Audis doctrinam commemorare suam.

Perpetuò ô felix mortali è corpore migrans,

Quisquis ad ætheream peruenit usq; domum.

Inq; Dei patris conspectu, vulnera Christi

Aspicit, è quibus est nostra parata salus.

IN OBITVM CLARISSIMI
Viri Philippi Melanthonis, Petri Loti
chij Secundi Elegia, ad Georgium
Cracouium Iureconsul-
tum.

DVM tepet apricus zephyris spirantibus aer,

Blandaq; purpurei tempora ueris eunt :

Almaq; fecundo se uestit gramine tellus,

Arbor & umbrosas induit alta comas :

Errabam Nicri secessus inter amœnos,

Mollis adhuc uitreo rore madebat humus.

Prata uidens circum, florum mirabar honorem,

Lenis ab herbosis dum strepit aura iugis.

Grata salutabant orientis lumina Solis,

Dulce uiatori manè leuamen, aues.

Nuncia cum luctus tua uenit epistola Craco,

O quoties lacrimis humida facta meis?

Sic igitur moriens, sic ô diuine Melanthon,

Eunere perturbas gaudia nostra tuo?

Raptus

Raptus es heu (nec uana fides) tumulūq; recentē
Attonitus muta præterit Albis aqua.
Scilicet hæc miseris deerat sors ultima rebus,
Hic cumulus nostris debuit esse malis.
Deseris insanis puppim bone rector in undis,
Nutat, & in medio fluctuat illa mari.
Te sine nil letum nobis, nec amabile quicquam,
Delicias mundi sustulit una dies.
Morte tua cœli faciès mutata sereni,
Terraq; uix natas mœsta recondit opes.
Pastoresq; sonant uacuos lugubre per agros,
Atraq; mutato sidere squalet hyems.
Ipse ego qui uiridi redinutus tempora myrto,
Lætus odorati tempore Veris eram,
Fingebamq; tuas quæ possent ire per aures,
Tutaq; iudicio docta per ora tuo.
Nunc studium, Musasq; omnes, lucemq; perosus,
Carmina lugubri concino mœsta lyra.
Hæc cineri suprema tuo sint munera, quamuis
Gratia par meritis non queat esse tuis.
Nec mihi spes æquare tuæ præconia laudis,
Arduus ingenij diuitis ille labor.
Qui uolet, is Libycæ numerum subducatur arenæ,
Cum rapidum Pleias turbat aquosa fretum.
Sat mihi, si nostrum dolor hic testetur amorem,
Meq; obitu gemitus non tenuisse tuo.
Nam licet occiduo traherem sub cardine uitam,
Vespere qua lassus Sol iuga demit equis.

Seu populos inter, Phœbi quos inficit ignis,
 Sidera quos extra nostra iacere ferunt.
 Has tamen inferias, quocumq; sub æthere, ferrem,
 Et memor ignoto staret in orbe lapis.
 Te puerum, uix linquentem cunabula, Musæ
 Certatim donis excoluere suis.
 Maternaq; tibi consanguinitate propinquus,
 Monstrauit uera Capnio laudis iter.
 Capnio quem Tybris, quæ frater Tybridis Arnus,
 Progeniem nostri sanguinis esse negant.
 Illius Arctœas iussu digressus in oras,
 Coepisti ingenij spargere dona tui.
 Et uelut exiguus primùm sine nomine riuus,
 Per uiridem tenui murmure serpit humum.
 Mox magis atq; magis labendo uiribus auctus,
 Communes populis sufficit uber aquas.
 Sic artes creuere bonæ, tua gloria creuit,
 Adiecitq; aliquid proxima quæq; dies.
 Fortunata nimis subsidere Mænalis urse
 Terra, prius fœdo squalida tota situ.
 Ille tuas iussit Musas regnare per urbes,
 Et pulsare nouo pectine fila lyra.
 Inchyta tunc gemina redijt facundia lingua,
 Barbariesq; dedit, cedere iussa, fugam.
 Calliopeq; suis comitata sororibus ultrò,
 Mænalio posuit læta sub axe domum.
 Tum pater, ignotum prius atq; ignobile flumen,
 Cornua limosa sustulit Albis aqua,

Et,

Et, quos nulla prius flores conspexerat et at,
Fudit odorifero terra benigna sinu.
Hinc legere noui sibi ferta recentia uates,
Gloria quos humeris euehit alta suis.
Seu uada, care senex, habitasses Syrtis iniquæ,
Siue sub Aemonijs inuia saxa iugis.
Illuc Castaliæ migrassent spontè sorores,
Ortus & Aoniæ fons nouus esset aquæ.
Fallor? an hoc terris Superi restare monebant,
Sideraq; in cunas officiosa tuas?
Cum Ioue Mars primo fulsit tibi mitis in ortu,
Thessalus hospitio fouit utrunq; senex.
Inuentorq; lyre faustos tibi præbuit ignes,
Humida quâ liquidas urna refundit aquas.
Falciferumq; senem, quamuis nil triste minantem,
Mollit in quinta candida sede Venus.
Cynthia per felix, in culmine, uirginis astrum
Oppositos fratris currere uidit equos.
Inde tot egregiæ culto sub pectore dotes,
Dona tot ignorat quæ rude uulgus, erant.
Gratia Dijs, quod læta tuo mihi tempora nasci,
Præceptisq; tuis fata dedere frui.
Septimus à decimo (memini) iam ducitur annus,
(Tam citò tot læti præteriêre dies)
Cum tibi præclaras puer erudiendus in artes
Traditus, Aonidum captus amore, fui.
Non mihi maluerim quidquid Tagus egerit auris,
Quicquid habet rubri diues arena maris.
Tu mihi

Tu mihi monstrabas bifidi iuga frondea montis,
 Deducens fida, ceu pater ipse manu.
 Non tibi per Latium, tot clara per oppida, uidi
 Sequana nec tumido quæ fluit amne, parem.
 Clara per Europam tua fama, per Asida terram,
 Nec Libyæ laudes nescit adusta tuas.
 Tu præcepta Dei pandens arcana, docebas
 Gaudeat ut pura mente fideq; coli.
 Doctrinæq; pio cœlestis amore, ferebas
 Mille uia casus, tædia mille senex.
 Non magis hac iudex quàm parte seuerus in illa,
 Iusta uelut premitur pondere libra pari.
 Impia nec contra diræ conuicia lingue,
 Causa laceßitas impulit æqua manus.
 Non ego mordaci perstringam carmine quenquã,
 Nullus in hoc unquam pectore liuor erit.
 Si tamen audebunt manes uiolare sepultos,
 Tisphone furijs quos agit atra suis:
 Non cineres uenerande tuos patiemur multos,
 Pro tumulo Pietas induet arma tuo.
 Albi pater, pater Albi, leues abiêre per auras
 Omnia, quæ propter uiuere dulce fuit.
 Si quid habent ueri timida præsagia mentis,
 Pœna uenit lento sera, sed ampla, pede.
 Iam uideo instantes fatali lege ruinas,
 Præliaq; & fuso pingue cruore solum.
 Voluimur huc illuc, ueluti spoliata magistro
 Cymba per Aegæas naufraga fertur aquas.

Ergo nec affari mihi te dulcissime saltem,
Extremum licuit funeris ante diem.
Cum pectus tibi dira sitis torreret anhelum,
Vreret & miserum febris acerba iccur.
Ipse salutiferas herbas, succosq; dedissem,
Quos miscere alia non didicere manus.
Ipse Deum supplex in uota precesq; uocassem,
Assistens lecto peruigil usq; tuo.
Namq; preces castae pallentes pellere morbos
Votaq; Paonia fortius arte, solent.
Non licuit saltem uoces audire supremas,
Atq; anima tecum deficiente loqui.
Non positum lacrimis sparsi uenerabile corpus,
Florida non cineri ferta rosasq; dedi.
Quod possum, tibi mane nouo, tibi uespere sero,
Mœsta tibi media carmina nocte canam.
Nec breuis hæc finem statuet mihi uita doloris,
Siquid adhuc uitæ Dij superesse uolent.
Non animum uerni mulcet clementia cœli,
Non leuis afflatu me iuuat aura suo.
Fœcundisq; rose Lauriq; uidentur in hortis,
Cumq; maris uiridi lilia rore mori.
Alma parens tellus, cuius cognomen habebas,
Deficit, & foetus negligit ægra suos.
Ipse etiam ueteris Nicer haud oblitus alumni,
Cœruleas largis fletibus auget aquas.
Hic fuit, hic studuit, puer hoc in cespite lusit,
Hic pater, hic genitrix, hic habitauit auuis.

Colle

Colle sub hoc tenui deduxit carmen auena,
 Hic decor, hæc doctæ gratia uocis erat.
 Talia dum recolit, lacrimarum gurgite flumen
 Crescit, & undosis fluctibus antra fremunt.
 Mœstaq; uicina residens Philomela sub umbra,
 Flebile mœrentes concinit inter aues.
 Aemula facundi Philomela MELANTHONIS
 Par honor, & linguæ cãdor utrisq; fuit. (ales
 Omnia quæ tellus, quæ pontus, & educat æer,
 Interitu lugent, magne PHILIPPE, tuo.
 Si tamen illa Dei fuit (ut fuit) alma uoluntas,
 Nostra nec infectum reddere uota queunt :
 Corporis exuijs & mortis lege solutum,
 Gratulor ætherea te regione frui.
 Postq; tot infidos maris implacabilis æstus,
 Nubila iam pedibus cuncta subesse tuis.
 Iam canis unigenam natum, rerumq; parentem
 Per fortunati culta uireta soli.
 Illic sunt, quicumq; Dei præcepta secuti,
 Iustitiæ certas nos docuere uias.
 Non illic morbi, non ærumnosa senectus,
 Non graue pauperies urget acerba malum.
 Sed citharæ, cantusq; uigent, animæq; piorum
 Ipsius è uitæ fonte perenne bibunt.
 Aeterniq; patris mens & Sapiencia Christus,
 Feruida diuino lumine corda rigat.
 Salue magne parens, alii nunc ætheris hæres,
 Et fruere æternis, quæ tibi parta, bonis.

Discipulūq; tui uocem cognosce supremam,
Nec pietas cineri sit grauis ista tuo.
Terra tuum uiolis ornet, lauroq; sepulcrum,
Floreat æternis urna beata rosis.
Ossaq; tranquilla semper tua sede quiescant,
Semper ad Albiacas uox tua uiuat aquas.
Hoc precor, his saltem, mundi sator, annue uotis,
Ipse uagi curam suscipe Christe gregis.
Per nomen uenerande tuum, nostramq; salutem,
Sanguine quæ miseris est reparata tuo.
Perq; tuos, dum corpus erat mortale, labores,
Per maiestatem numinis oro tui.
Extremæ per diræ precor ludibria mortis,
Respice desertas, optime pastor, oues.
Respice nos tenues cum spiritus ibit in auras,
Summaq; cum terris fulserit illa dies:
Qua tuba per trepidas sonitum dabit horrida nu-
bes,
Hoc triplex mundi flamma resoluet opus.
Et benè habet: nec enim genitor dulcissime longè,
Auguror aduentus tempus abesse tui.
Interea laudesq; tuas, nomenq; canemus,
Tu modò da dulci Christe quiete frui.
DOCTO.

DOCTORIS IVSTINI GOB
 leri Goarini Iureconf. in obitum clarif-
 simi uiri Domini Philippi Melantho-
 nis, Præceptoris sui charissimi,
 Στέναγμος, id est, Gemi-
 tus.

Ipsa grauem ut mater sentit puero orba dolorē,
 Quæ uero nati flagrat amore sui:
 Sic pia nunc iusto est Ecclesia mœsta dolore,
 Orbata aspectu, doctæ PHILIPPE, tuo.
 Nec minus ingenuæ mittunt suspiria Musæ,
 Musarumq; pius, tota Elegeia, chorus.
 Tradere nouisti placido sermone, styloq;
 Quicquid habet Latini, Græcia quicquid habet.
 Non tantum ueteres æquasti carmine uates,
 Per te etiam Historiæ laus sua certa manet.
 Fidus Euangelij Symmistes, atq; σὺνεργός,
 Doctrinam exornas pectore, uoce, manu.
 Hanc quæ diuino est iterum patefacta Luthero,
 Illustras scriptis pluribus ipse tuis.
 Oreq; facundo sacra siue humana doceres,
 Secula nostra tui non habuere parem.
 Sistebas aliqua Sæctarum incendia parte
 Leniter: heu quanti est hocce laboris opus?
 Sed quia fatales iam nunc expleueris anno,
 Ipse pijs animis associandus eras.
 Exuis humanas mutata sorte querelas,
 Gaudia cœlestis plena sequere boni.

Nescio num tua mors nobis uentura minetur,
Tempora postremis deteriora tuis.
O mihi nunc liceat tranquilla uiuere tecum, &
Acterna pariter uita, & amore frui.
Viue, uale ô pectus Studiorum mole solutum,
Nunc datur in CHRISTO sola beata quies.

EPITAPHIUM REVERENDI
uiri Philippi Melanthonis, fidelis serui
Ecclesiæ DEI uiuentis.

FLOS iacet hic mellis nigra tellure MELAN-
THON,

Apes dolete sedule,
Vnde bonus spirabat odor, pia mella fluebant,
Pia fleant Ecclesia,
Lenta febris potuit paruum comburere florem,
Lugete parui flosculi.
Nulla uiri famam poterit delere uetustas,
Fuci leues faecesite.
Semper apes flauo distendent nectare cellas
Qua nunc stetit flos melleus.
Semper humus suaves illic diffundet odores
Qua nunc iacet flos paruulus.
Sed cum summa dies optato illuxerit ortu,
Flos hic uirebit denuo.
Et reliquas inter beneolentes pulchrior herbas
Christi nitebit uertice.

Ioan. Mathesius.
Graba

Grabschrifft des Gottse-
ligen vnd Hochgelarten Herrn Phi-
lippi Melanthonis / meines lie-
ben preceptoris vnd
Freunde.

In Honigblüm auß schwarzer erd /
Der ehrentron vnd lobes werd /
Ligt hie verwelet in jrer rhü /
Da ihr die hiez sagt hefftig zu.
Auß jr vil danckbar Bienelein
Sogen vnd machten Honigsein.
Du trost vnd lahr der Christenheyt /
Des tregt manch Schul vnd Kirche leyd.
Vil vnzieters vnd Vogel wild /
Diß kleine Blümlin hat gestillt /
Mit seinem gruch vnd thewrem safft /
Vil güts hat Gott durch es geschafft /
In Kirch / Schül / Hauß / vnd Regiment /
Nun hat sein mäh vnd gfar ein end.
Raup / Hummel / Metel / Brems vn Wesp /
Kein Nessel / Klett / Distel noch Tresp /
Diß liebe Rößlin dempffen kundt /
Gott preißts / Leut lehrts zu aller stund.
Manch Spinn ist drüber hin gekrochen /
Vil giffrig Wärm han drein gestochen /
Noch lebrs / vnd schläfft in disem schrein /
Seins werck's wirt vnuergessen sein.

Gott im sein threnen sein abwischt/
Mit Himmelstau ers jetz erfrischt.
Lieblich gruch sein bletlin geben/
Es wirt in kurz auch wider leben/
Wann trewer Lehrer bein vnd haut/
Wirt blüen wie das grüne kraut.
Da wirt sein glaub/gedult vnd fleiß/
Bekommen danck/lob/ehr vnd preiß.
WEr nun zu disem Sarc̄ thüt walln/
Der laß ein sehnlichs thränlin falln/
Vnd seufftz mit mir auß hertzen grund/
Gott gefelle ein danckbar sinn vnd mund.
HERR Christ kom̄ zeyg dein herzigkeyt/
Die solchem Blämlin seind bereyt,
Durch dein vorbitt vnd wunden rot/
Hilff deiner Kirch auß aller not.
Erhalt auch alle Bienelein/
Vnd dises Rößlins bletlin rein/
In dein Cypressen Schreynelein/
Denn sie deins Namens zeugen sein.
Dein Wort vnd güter leute schrift/
Dient wider mord vnd Teufels gift.
Leert/tröst/erquicket/warnt jederman/
Ein böß Büch geh alls vnglück an.

Ioan. Matthesius.

IN

IN MORTEM REVERENDI
Viri Philippi Melanthonis.

Flosculus è nigra tellure creatus in auras
 Occidit, exequias ferte frequenter Apes.
 Flete pij flores, folijs q̄; inscribite luctus,
 Tu quoq; literulas dic hyac: the tuas.
 Omnes quæ Libani frondetis collibus herbæ:
 Tu tamen ante alias florida ruta dole.
 Non fuit in terris apibus flos gratior unquam,
 Progeniuit folijs tam pia mella suis.
 Et folijs gratos Ecclesia sensit odores,
 Vitaq; confectos uenit in alueolos.
 Heu ualeant quotquot folijs insecta peresis,
 Hinc sugunt odijs sæua alimenta suis.
 Lucifuge blattæ, uespæq; ante ora strepentes,
 Et qui Libanias turbat Asylus apes.
 Et qui non paribus crabro se immiscuit armis,
 Quiq; aliena piger pabula fucus edit.
 Aut pisturatis eruca in pellibus errans,
 Eq; luto uolitans musca per ora uirum.
 Et uos obscenæ uolucres, pecudesq; ualete
 Fœdantes uestro germina sacra fimo:
 Quæ pede gallino, quæ calce rudentis Aselli,
 Eruitis uirides per nemus omne comas.
 Vos tamen ille omnes tam paruis pauit in umbra,
 Sic multis probitas officiosa nocet.

Valle sub Elysia sacra nemus arbore frondet,
Letaq; selectis floribus arua uirent.
Si qua fides ueterum, locus ille salubribus herbis
Est datus, obscœne quo prohibentur aues.
Illic assiduè libant examina rorem,
Et uirides lædit bestia nulla comas.
Regnat amor florum, et generandi gloria mellis,
Et uenit à leni murmure facta quies.
Flosculus hic inter beneolentes consitus herbis,
In sua mellificas germina uertit apes.
Inq; Deo occultam degit sub cespite uitam,
Nec metuit fucos in sua fata leues.
Sed folia in Cedri seruantur marcida cistis,
Ne pereant scuis illa uel illa nothis.
Et Sol iustitiæ uernos cum proferet ortus,
Flos etiam uirides proferet ille comas.
Spirantesq; rosas terra diffundet in alba,
Et nitido Christi tempora flore teget.
Sicca tamen radix parua componitur urna,
Qua lapis ex ipso nomine carmen habet:
Terra sui quondam, nigrae gero nomina terræ,
In terram redeo, dic mihi qualis eram.

ALIVD.

Spargite humū lacrimis, iacet hic flos febre perus-
sus,
Quæ nigra terra dedit, mons tegit albus humo.
Felix

*Felix illa apis est, quæ non ingrata laboris,
 Hinc pia ab innocuis mella bibit folijs.
 Sed quàm desit odor folijs, quàm gratia Flori,
 Sylua prius folijs, flore carebit humus.*

*Ioannes Maior,
 Doctor.*

**EPITAPHIVM PHILIPPI
 Melanthonis.**

Hic iacet Europa decus & pia fama MELAN-
 THON,

*Corpore qui paruus, maximus arte fuit.
 Cuius ob egregias uirtutes, claraq; scripta
 Et pietas, & pax hac regione stetit.
 Brettæ uiri patria est, clarum uirtute parentem
 Ampla Palatini fouerat aula ducis.
 Sed puer in ludum missus Phorcenidos urbis
 Indolis egregiæ prouida signa dedit.
 Mox patris in patriam tendens, ut disceret artes
 Ingenuas, Nicri culta Lycea petit.
 Et duo transegit cum lustra & quattuor annos,
 Nactus ibi primum cepit in arte gradum.
 Hinc iuuenem fecit titulo gaudere Magistri
 Aonij nutrix clara Tubinga chori.
 Tunc noua fundabat conductis atria Musis
 Albidos ad flauas Dux Fridericus aquas:
 In signemq;*

Insignemq; uirum Capnionem ad cœpta uocabat,
Augustæ Imperij conueniente statu.
Capnio laude uehens cognati dona Philippi,
Hunc iubet Albiacæ munus obire scolæ.
Hic tunc Argolico docuit sermone iuentam,
Barbaries illo pulsa docente fuit.
Et Sophiæ tristes fontes, uelut alter Elisa
Farre dato, gratos usibus esse dedit.
Nota uiri uirtus, nota est doctrina per orbem,
Proq; pia exhaustus religione labor.
Hic fidei summam ueræ, mandante Luthero,
Obtulit Augusta Cesar in urbe tibi.
Membraq; doctrinæ corpus digessit in unum,
Sparsa prius neruis quæ iacuère suis.
A hostes fidei scriptis & uoce refutans
Multa foris subiit, multa pericla domi.
Et quàm Romani latè patet orbita regni,
Impleuit meritis templa scholasq; suis.
Donec ab ardenti consumptus uiscera febre,
In Christo placida marte solutus obit.
Et nunc ille quidem defunctus mole laborum
Conspectu fruitur, colloquioq; DEI.
Sacrificis ubi iunctus auis astante Luthero,
Doctoris Christi pendet ab ore sacro.
Fors & uota facit quò sacra Ecclesia Christi
Vnanimi doceat cœlica iussa fide?
Mox tamen hæc surgent cœlesti rore rigata
Quæ nunc ossa solo marcida febre iacent:

Cum uelut herba uirens floreant ossa piorum,
 Et Fidei capient præmia digna suæ.
 At te posteritas colet ob tua dona MELAN-
 THON,
 O uir ingenio non habiture parem.

ALIVD.

Maximus hic meritis, sed paruus membra PHILIP-
 PVS

Pone iacet tumulum magne LVTHERE tuū.
 Cui piarelligio se totam debet & Artes,

Et pax & regni publica commoditas.
 Testis erit uitæ, studijq; actiq; laboris

Quicquid Romano uiuit in imperio.
 Cumq; odia à multis fuerit perpeffus alumnis,

Nunc cælo precium dulce laboris habet.

Ossa tenet tumulus, sed uiuit fama: iacere

Tot dotes uno non potuere loco.

ALIVD, D. Georgio Cracouio autore.

A Ioue Mercurius cæli demiffus ab arce,

Mox uiso tumulo hoc obftupefactus, ait:

Clare PHILIPPE tuam lugent sacra numina
 mortem,

Quotquot Parnaffus, quotquot Olympus ha-
 bet. Ingenuas,

172 5899

Ingenuas, duce me, docuisti insigniter artes.
Inq; tuo es uisus pectore habere DEVM.
Testor id, ipse sui toto tibi corpore mixtus,
Littera non abs te, me sine scripta Deo, est.
Ergo tuum uiuet nomen, laudesq; manebunt,
Donec erit coelum, sydera donec erunt.
Cum uero semper florebis Apolline, Christot
Huius eras uiuus, mortuus huius eris.

Τέλος.

FRANC. Apud Hæred. Chr. Egēs
nolphi, Anno
M. D. LXIII.

10

11

12

13

14

15

16

17

18

